

nemo castiget, nonné nova jam nata est Tyrannis, inter nos, qui sanguine eam nostro hæctenus a cervicibus nostris repulsam voluimus?

Luc. 23. 12.

Et, ut ut per se culpæ obnoxium sit istud tuum factum, tantò tamen magis culpandum videtur, quòd de fratre tuo ista ad hostem communem scribas. Qua in re videris imitatus esse Herodem, quem cum Pilato, per mutuam Christi ludificationem, in gratiam rediisse, sacræ testantur literæ. Et quid putas tantum virum, PERRONIUM Cardinalem, cogitaturum, dum ista leget? Ridebit in sinum, & quid Papæ suo vobiscum faciendum sit, (si occasio detur) tacite doceri, jure colliget. Nec enim minus sibi juris vendicat Papa in nos, quàm vos in istum præclarum virum.

Salus, dices, nostra & aliorum agitur. Itaquæ seriò & citò vigilandum fuit. Esto salutem agi: Nihil tamen contra Christi præcepta unquam committendū est, in damnando fratre, quod hic factum esse, justè videor conqueri. Sed erras, si salutem agi in iis, quæ in libro illo scripta sunt, credis. Plæraq; enim istorum, in quibus diversum ab aliis sentit liber ille, non paucos tum veteres tum recentiores Theologos, quos, vera Christi membra esse, nec tute diffiteris, patronos habent: Salvis autem manentibus iis, quæ essentiam (ut sic loquar) Christianæ religionis constituunt, in aliis, quantumvis multis & magnis ab aliis dissentire, semper licuit, licebitquæ; ubi, crudeli spiritu Antichristi fugato, mitis Christi spiritus regnat.

Sed nunc ad alterum transeo. Graviter illud & piè de SERENISSIMO Rege narras, quòd *hoc sibi faciendum putet, ut in tanto variarum opinionum diluvio ad montes sacra scriptura se recipiat*: nec minùs egregium est, quod ex Chrysofomo adducis, *Duo esse instrumenta*
judicandi